Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1025
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tatem iustę uitę. ut dignus sim corpori tuo
quod est ecclesia incorporari. & sim membrum tuum.
& tu caput meum. & maneam in te & tu in me.
quatinus in resurrectione reformes corpus
humilitatis meę configuratum corpori
claritatis tuę secundum promissionem apostoli tui. &
in te in ęternum gaudeam de gloria tua. qui cum
patre & eodem spiritu sancto uiuis. Alia.

DOMINE IHESU CHRISTE redemptio mea. misericordia mea.
salus mea. te laudo. tibi gratias ago. Quam
uis ualde impares tuis beneficiis. quamuis
multum expertes dignę deuotionis. quamuis
nimis macras a desiderata pinguedine dul
cissimi tui affectus. tamen qualescumque laudes.
qualescumque gratias. non quales scio me debere.
sed sicut potest conari tibi persoluit anima mea.
Spes cordis mei. uirtus animę meę. Auxilium
infirmitatis meę compleat tua benignitas
potentissima. quod conatur mea tepidissima
inbecillitas. Vita mea finis intentionis
meę. & si nondum merui te tantum quantum